

(Signum Notarii: *I. M. N.*) Ego Joannes Mazzarellus Notarius publicus Curiaeque archiepiscopalis Spalatensis Cancellarius, antescriptum exemplum aliena manu ex^{um} auscultavi et concordare inuentum in fidem subscripsi, mei Tabellionatus signo apposito et ad majus robur Curie sigillo muniui.

Ex libro MSC.: „Donationes Principum Ecclesiae Spalatensis“ in Archivio Episcopatus Spalatensis asservato.
p. 1. Habent quoque Lucius de Regno Dalm. et Croat. Historia. Francofurti. 1666. p. 61. Vind.
1758 p. 60. et Farlati: Illyricum Sacrum T. III. p. 51. sed sat erronee.

II.

Anno 892. die 28. Septembris. Biacii, prope Salonam.

Mučimir Croatorum dux haereditarius confirmat donationem Terpimiri ducis, factam Ecclesiae Salonitanae, communi consilio cunctorum fidelium et Primatum populi.

In Nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Anno utique, sacram postquam Christus carnem ex virgine sumpsit, DCCCXCII Indictione XI sub die 4. Kalendas Octobrium. Cum magne inter Salonitanum et Nonensem presulibus, uerterentur de quadam facta donatione, a Tirpimiro piissimo Duce in juris sancte matris ecclesie Domnii & Anastasii beatorum Martyrum, quandam mancipando ecclesiam sancti Georgii, que sita est in Petalio, uidentur contentiones; dicente Petro Spalatensium Archiepiscopo: hanc quam dicitis ecclesiam donatam a prefato duce, & priuilegii statuto roboratam, in nostre juris ecclesie sub testimoniorum (Luc. et Farl. testimonium) notitia mancipatum habemus; respondens Aldefreda Nonensis ecclesie presul, dicebat: non ita habetur, sed nostre potius ecclesie dominio detinetur, quoniam non in ecclesia sanctorum Domnii & Anastasii, ut dicitis, possidenda, sed ipsius presuli fruenda ad tempus tradita est; his ita habentibus comperto, placuit mihi Muncimir diuino munere iuatus Croatorum Dux, residente Paterno solis, diuino spiramine, communi consilio cum meis cunctis fidelibus, et primatibus populi (Luc. et Farl. Primat. Populis) omni opposita (Luc. et Farl. composita) et pretermissa contentione, dictam iam sancti Georgii ecclesiam in sanctorum martyrum Domnii et Anastasii, cum omni suo introitu et exitu subiugare privilegio, cum servis et ancillis, campis et uineis, pratis et silvis, cuncta mobilia et immobilia omnia, quam ecclesiam teste & auctore Deo, uolo, ut nullus deinceps de successoribus meis, de potestate Spalatensium ecclesie subtrahere audeat, vel quomodolibet (Luc. et Farl. in quolibet) diripere, sed juxta priscam (Farlati pristinam) consuetudinem, ut donatam a Patre meo recolimus, et mox per presens priuilegium denuo mancipamus, ut omnino subjaceat dicte ecclesie jure; qui uero postmodum auaritie facibus accensus, atque in superbie cornibus elevatus, statuta nostra parui pendens, nuper factam ecclesiam a dominio sanctorum martyrum